Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 483
Quelle:
Copyright:

Baccalaureum illum, qui ad legendum publice *Cursum* seu Biblicum seu Sententiarum admissus esset. De Opere denique nostro notandum, *Petrum* nostrum, quemadmodum ipse *Nicolai de Hanapis* O. P. cujus habentur *Virtutum Vitiorumque Exempla e sacris Literis*, viam institit, ita imitatorem nactum fuisse Ordinis sui Virum *Antonium Rampigollum* in *Figuris Biblior.* et *Aureo Biblior. Repertorio.*

II. *fol.* 253. *Queritur. Vtrum penitenti confessato fratri non licenciato sub iuris forma debita sit necesse confiteri de nouo proprio sacerdoti delicta preconfessa.* Respondetur negando. In Actu Academico propositam fuisse Quaestionem adparet ex fine, ubi Autor *Venerabilium Magistrorum libramini* sua subjicit. Ad calcem: *Scriptum Treueris per fratrem Johannem Dusseldorp Anno domini M°.CCCC°.LXI°. secundum stilum Treueren.* (annos 25. Mart. incipientem) *XX die mens. februarij qui fuit sabbato ante Dominicam LXe. pro tunc Cursorem Inmeritum ibidem.*

III. *fol.* 277. Expositio Orationis Dominicae, quae incipit: *Pater noster — Sciendum quod in Oratione dominica sunt duo. s. oratio et peticio* &c. Ad calcem: *Per me fratrem Johannem de Dusseldorp scriptum tholose finitum est autem Anno domini M°CCCC°LXII° et die vicesima quarta mens. aprilis. Johannem* hunc *Freytag* multa scribere sed celare adseruit *Job. Trithemius de Scriptt. Eccl. n.* 960. unde et Tractatus duo mox indicati ad eum referri poterunt. Doctorem *Coloniensem* fuisse, Priorem Conventuum suorum *Moguntiae* et *Argentinae*, *Palaestinam*que, quam adierat, descripsisse, tandemque *Argentinae* 1494. obiisse, idem tradit in *Catal. illustr. Germ. fol.* 56. Neque verbo plus *Lucius* in *Bibl. Carm. fol.* 45.

IV. *fol.* 301. Eadem manu Themata sacrarum Dictionum in Dies Dominicas, quibus Quaestiones e *Summa Thomae Aquin.* adcommodantur. Ejusdem puto *Johannis*, quem idem *Trithemius* a facundia in declamandis Sermonibus commendat.

CLXXIV. VI.C.16.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 28. f. continet *Benedicti Ariae Montani* Hispalensis Librum *Thubal — Cain, sive de Mensuris Sacris* in tria, ut vocavit Autor, Volumina distinctum, descriptumque ad verbum cum ipsis ad calcem Censorum Adprobationibus ex editione *Cph. Plantini* in Adparatum Bibliorum Regiorum *Antverpiae* 1572. 142

CLXXV. VIII.C.12.

Codex membraneus lat. Sec. minimum XII. Folior. 78. f. eleganter scriptus et rubricis distinctus, litera quadrata miniata sic praenotatur: *Incipit Expositio Bedę Presbiteri. De Tabernaculo Domini. Et Vasis eius. Ac Vestibus* 194